

## PRAEFATIO

tione ab  $\alpha\gamma$  saepius dissentiunt. Mihi quidem persuasum est et  $\beta$  et  $\gamma$  ex  $\alpha$  quasi e puriore quodam fonte derivatos esse, alia tamen alios, ut fit, conluvie sensim foedatos.

In Philippicis  $V$  (Vaticanus) omnium consensu praestantissimus. De correctionibus, quas habet a manu secunda ( $V^2$ ) et tertia ( $V^3$ ) profectas, nuper egit E. Ströbel: ipse in hoc libro primario evolvendo aliquot horas posui. Illud vereor, ne erroribus librarii omnium quotquot fuerunt indoctissimi nimiam aliquando auctoritatem tribuerit Halmius, in eo praesertim quod ad locos a  $V^1$  omissos attinet. Ceteros codices e decurtato quodam archetypo effluxisse communes lacunae testantur. Ex hac familia, quam  $D$  appellat, quattuor codicibus ( $abgt$ ) Halmius usus est. Res erat ingrata et magni laboris codices novos conferre, sed contuli non nullos, neque me operae paenitet, cum pateat codices Halmianos non ita excellere, ut ceteri spernendi sint. Uni Vaticano antiquitate cedit  $n$  (Vossianus Lat.  $O. 2$ ), quo usus sum beneficio viri humanissimi, S. G. de Vries, Bibliothecae Leidensis Praefecti, perantiquus etiam  $l$  (Regius 15 A. xiv) in Museo Britannico servatus. Tres denique codices, quos  $c$  appello, in Philippicis i–iv, quas solas habent, lectiones exhibent a Ferrario e codice Angelii Colotii laudatas, quem integritate proxime ad Vaticanum accedere Garatonius recte iudicavit. His subsidiis munitus codd. Halmianos  $ag$  neglegere potui, neque in Phil. i–iv Bernensi ( $b$ ) opus erat, cuius bonas lectiones habeant codd.  $c$ , vitiosis careant. In extrema Philippicarum parte cum codicum magna inopia sit (deficit  $l$  xiii. 46,  $n$  xiii. 29,  $t$  xiv. 25) usus sum  $o$  (Oxon. Coll. Nov. cclii), qui e Vossiano nondum mutilato descriptus est, et  $h$  (Harl. 2682), qui in his orationibus a praestantia sua aliquantum deflectit